

## CAPVT VI.

## De Pantheismo

## ART. I. Pantheistarum placita recensentur

228. Ex iis, quae superius de infinita Perfectione Dei dicta sunt, non solum eorum error, qui non nisi unam esse posse Divinam Naturam inficiantur, sed etiam commentum illorum, qui Deum cum hac rerum universitate confundunt, refellitur. Illud philosophiae systema, in quo omnia, quae sunt, unicam substantiam constituere dicuntur, quae Deus appellatur, pantheismi nomine designatur <sup>1</sup>. Iam insania haec, etsi antiquissima sit, tamen hac nostra aetate late longeque pervagata est, ac veluti culmen attigisse videtur.

229. Ut veteres <sup>2</sup>, atque aliquos mediae aetatis praetermitta-

<sup>1</sup> Hoc ipsa pantheismi vox, a verbis  $\pi\alpha\omega$  et  $\Theta\epsilon\omicron\varsigma$  effecta, luculenter declarat.

<sup>2</sup> Omnes ferme indorum philosophorum Scholae pantheismum magis, minusve redolent, sed eum, omni remota ambage, docuit philosophia Vedantae, quae cum libris sacris, *Vedas* appellatis, consentanea sit, *orthodoxa* putatur. Vedantici philosophi contendunt unicum extare ens infinitum nomine *Brahma*, resque multiplices, et compositas, quae praeter illud existere dicuntur, esse calentis phantasiae ludibria. Inde ortum duxit effatum illud scholae Vedanticae: *Brahma solus existit, et quidquid non est Brahma, est humanae mentis ludibrium*. Quo mentem suam Vedantici clarius explicarent, his imaginibus usi sunt. *Brahma* est velut aranea aeterna, quae telam creationis e sinu suo continuo educit, et vicissim in se reducit; aut moles argillacea, cuius formae sunt cunctae res singulares; aut oceanus, cuius res creatae sunt fluctus, spumae, guttae, quae licet aliae ab aliis distinctae videantur, tamen revera ab oceano non distinguuntur (vid. Hug. Windischmanni, *De Theologumenis Vedanticorum*, Bonnae 1833). Inter Graecos, pantheismum propugnavit Schola eleatica, quae, a Xenophane orta, Parmenidem, Zenonem, Melissum Samium magistros habuit. Ceteris, brevitate ergo, praetermissis, Parmenidem nominamus, cuius illud notatu dignum est, quod tamquam proprium inventum hodierni Pantheistae sibi vindicant; *quod cogitat, et quod cogitatur, unum idemque est*. Postquam ab Evangelii praeconibus creationis dogma, quo pantheismus omnino destruitur, promulgatum fuit, Neoplatonicorum Schola, quae primum Romae, et Alexandriae, deinde Athenis viguit, pantheismum tueri pro viribus adnixa est. Horum praecipui habitus sunt Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, et Proclus. Isti docebant unicam existere substantiam, nempe Divinam, ceterasque res omnes non esse nisi *effluxus*, aut *emanationes*,

mus <sup>4</sup>, pessimi huius erroris origo in philosophia recenti a Be-

aut radios illius Divinae substantiae. Sed tandem, salutari luce Evangelii, paganae philosophiae tenebris dispulsis, teterrimum monstrum pantheismi penitus interemtum est.

<sup>4</sup> Praeter Arabes, et Iudaeos Kabalae studiosos (cf. Ad. Franck, *La Kabbale, ou la Philosophie religieuse des Hebreux*, pars II, c. 4, Paris 1843) vix unus, et alter, puta Almericus Carnotensis, et David de Dinando (cf. p. 354, not. 4), in media aetate inventi sunt, qui pantheismum instaurarent. Saeculo autem XIV, Frat. Eckartus, post Scotum Erigenam, *mysticismum*, qui pantheismo valde affinis est, excoluit. Porro mysticismus est illa philosophandi methodus, quae sumit perfectam rerum cognitionem menti humanae ex *mystica*, sive arcana quadam eius cum Deo unione obvenire. Eckarti errores Ioannes XXII damnavit Bulla *In agro Domini* an. 1330. Multa fragmenta ad eius doctrinam intelligendam opportuna videre est apud Carol. Schmid, *Du mysticisme allemand au XIV siècle*, inter *Commentt. Acad. Paris.* v. II, *Savants étrang.* Paris 1847. Iam mysticismus cum pantheismo colligatur (cf. Frankius, *De la certitude, Rapport à l'Acad.* etc., Paris 1847). Et sane Neoplatonici, cum persuasum habuerint mentem humanam esse *emanationem* Divinae substantiae, inde collegerunt ipsam tum veram cognitionem adipisci, cum se esse unum, et idem cum Divina substantia cognoscit, atque in hac cognitione coniunctionem eius cum Deo ponunt. Philosophicus autem iste mysticismus cum mysticismo catholico confundendus non est. Hic, secundum Sacrae Scripturae, et Traditionis doctrinam, a ss. Patribus expositus, et inculcatus, saeculo XI per duos Victorinos Hugonem, et Richardum scientiae formam accepit, et secundum Areopagitam *Theologia mystica* dicta fuit. Iamvero theologia mystica docet unionem arcanam cum Deo, quam animae sanctae quandoque in hac vita assequuntur, esse donum supernaturale et extraordinarium, quod Deus ipsis largitur, ad eamque animas per actus supernaturales Fidei, Spei, et Charitatis pervenire. Ex quibus conficitur « Theologiam mysticam, ut ait P. Cordierius, tam in substantia sua, quam in modo procedendi, esse supernaturalem, siquidem et principia eius, et media, et finis, et in hunc tendendi modum naturae vires, atque ordinem penitus transcendunt » (*Isagoge ad Mysticam Theologiam*, Praef. ad *Opp. s. Dionysii Areopagitae*, vol. I, Parisiis 1644); cum mysticismus philosophicus haec omnia pro naturalibus habeat. Mysticismus catholicus secundum methodum psychologicam procedit; siquidem Mystici docent, animas ad eum supernaturalem statum per considerationes affectivas diversorum generum rerum, tamquam per gradus, ascendere, atque in primo gradu genus sensilium ponunt (vid. s. Bonavent., *Itinerarium mentis ad Deum*, c. 1 et 2). Tacendum autem non est, quosdam theologos et mediae, et recentis aetatis mysticismum catholicum foedis, aut saltem falsis dogmatibus corrupisse; ex quo *pseudo-mysticismus*, sive mysticismus *heterodoxus* extitit. Haec monitos iuvenes volumus, quia pie-rigue hodierni Rationalistae nullum, quod rei substantiam attinet, discrimen inter mysticismum *philosophicum*, inter christianum *orthodoxum*, et inter christianum *heterodoxum* agnoscunt.



nedicto Spinoza repetenda est <sup>1</sup>, qui eo omnes sui ingenii nervos intendit, ut integrum pantheismi systema concinnaret in suo opere, *Ethica geometrico more demonstrata*.

230. Substantia, eius iudicio, est *ens*, quod per se est, et per se concipitur. Hac notione *substantiae* innixus, statuit unam substantiam non posse produci ab alia substantia, quia secus illa sine ista existere, et concipi non posset. Quocirca non nisi unica substantia dari potest, eaque improducta esse debet, sive huiusmodi, ut eius essentia existentiam necessario involvat. Haec igitur unica substantia est Deus. Quod si praeter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia, sequitur omnia, quae sunt, non aliud esse posse, nisi affectiones, sive modos attributorum ipsius Dei. Iam omnes res, quae extant, aut res corporeae, aut res cogitantes sunt, et, quoniam inter infinita Dei attributa sunt *extensio*, et *cogitatio*, patet res extensas infinitae extensionis, et res cogitantes infinitae cogitationis Dei esse modos <sup>2</sup>.

231. Spinoza vix unum, aut alterum suffragatores habuit; e contrario, innumeros, eosque doctissimos adversarios nactus est. At novissime Germani Philosophi, qui *transcendentales* appellantur <sup>3</sup>, Spinozismum nova, sed non minus absurda forma in medium protulere. Ipsi enim illud principium amplexi, *ideas nostras a rebus ipsis non distingui, idque, quod cogitat, et quod cogitatur, unum idemque esse* <sup>4</sup>, alterutrum inde inferre pote-

<sup>1</sup> Benedictus Spinoza Amstelodami Batavorum natus saeculo XVII, Iudaicam primo, deinde Christianam, nullam tandem Religionem professus est. Spinosae Iordanus Bruno saeculo XVI praelusisse videtur.

<sup>2</sup> Spinoza notionem substantiae, ex qua totam suam philosophiam derivavit, a Cartesio mutuatus est. Nam Cartesius (*Les principes de la phil.*, part. I, § 51) docuit « nos, cum substantiam concipimus, non aliud concipere, nisi rem, quae ita existit, ut non nisi seipsa ad existendum indigeat ». Hinc Spinosam e Cartesii philosophia suum pantheismum elicuisse concors historicorum opinio est. Cf. Tennemann, *Hist. phil.* (germ.), vol. X, p. 381, et 421, Lipsiae 1817; Degerando, *Hist. de la phil. modern.* c. 15, t. II, p. 398 sqq., Paris 1847; Cousin, *Du Vrai, du Beau, et du Bien*, p. 4 et 5, Paris 1854; Sigwart, *De convenientia spinozismi cum philosophia cartesiana* (germ.), Tubingae 1816; Ritter, *De vi, quam Cartesius in evolutionem scepticismi exercuit* (germ.), Lipsiae 1816.

<sup>3</sup> Cf. *Ideal.*, c. I, art. 4, p. 195, vol. I.

<sup>4</sup> Cf. p. 388, not. 2. Huic istorum philosophorum doctrinae viam stravit Kantius. Ipsi enim perviderunt Kantium sibi haud cohaerere, cum non

rant, nempe aut illud unum esse ipsum *to ego*, ceterasque res non aliud esse, nisi phaenomena, ab ipso illo *ego cogitante* producta, quae non aliter, quam vi nostrae cogitationis subsistunt; aut esse non quidquam subjectivum, et relativum, quemadmodum *to ego* est, sed quidquam obiectivum, et absolutum, nempe huiusmodi, ut subiecti, et obiecti principium sit. Prior sententia Fichteo, altera Schellingio arrisit. Fichteus enim eo usque deliravit, ut a *to ego puro*, seu sine conscientia, infinito, indivisibili, ipsum *to ego* non purum, seu cum conscientia sui ipsius, divisibile, et finitum, atque *to non ego*, seu mundum *poni*, necnon Deum creari sibi persuaderet <sup>1</sup>. Eius systema vocari solet *autotheismus*, quia homo seipsum Deum efficit, aut *panegoismus*, quia omnia *to ego* contineri statuit. Schellingius vero Deum docuit esse *Absolutum*, seu *principium identitatis absolutae*, id nempe, in quo res, et ideae, subiectum, et obiectum, *to ego*, et *to non ego*, omni differentia ablata, unum idemque sunt; absolutum tantum existere, ceteraque esse formas, sub quibus illud seipsum manifestat. Scilicet Identitas absoluta, quae Deus est, per continuam sui ipsius evolutionem se sub formis *materiae*, et *spiritus*, *obiectivi*, et *subiectivi*, *realis*, et *idealis* manifestat, atque hae formae extra *Absolutam Identitatem phaenomenice*, sive *apparenter* ab se distinguuntur, sed in *Identitate absoluta*, in qua vere existunt, unum idemque sunt.

aliam realitatem ab anima intelligi posse statuit, nisi quam ipsa e formis sibi insitis producit, et simul materiam cognitionis ab obiectis extra mentem positam derivavit (Cf. *Ideal.*, loc. cit. p. 196). Quare tum obiectum cognitum, tum subiectum cognoscens unum, idemque esse sibi persuaserunt.

<sup>1</sup> En quomodo positiones istae secundum Fichteum fiant. *To ego purum* primo per quemdam actum *activitatis*, sive *spontaneitatis* sibi essentialis se ipsum ponit, sive *creat absolute*, id est, tamquam *purum*, sine ulla relatione ad subiectum, et ad obiectum. Deinde per *reflexionem*, quae ei quoque essentialis est, se in se ipsum retorquet, ac proinde se in subiectum, atque obiectum reflexionis distinguit. Hinc *to ego* per reflexionem limites sibi imponit, seque in *ego* subiectum, et in *ego* obiectum dividit. Quoniam autem subiectum reflexionis obiecto opponitur, liquet *ego obiectum*, comparatum cum *ego subiecto*, reipsa esse non *ego*. Quapropter *ego purum* per reflexionem ponit tum seipsum non *purum*, hoc est, cum conscientia sui ipsius, divisibile, et finitum, tum non *ego* etiam finitum. Iam *to ego* tamquam *purum*, sine ulla relatione ad subiectum, et obiectum, est Deus; *to ego non purum*, id est cum conscientia sui ipsius, est spiritus humanus; *to non ego* est mundus.



232. Heghelius autem hic non subsistit; namque non solum rem cogitantem, et rem cogitatam confundit, sed utramque rem cum cogitatione unum idemque esse contendit, illud pronuntiatum statuens: *Quidquid est reale, est ideale, et quidquid est ideale, est reale*<sup>1</sup>. Quare, ex eius sententia, illud, quod cetera omnia complectitur, non est neque subiectum, neque obiectum, verum cogitatio, seu Idea, vel *Idea-Ens*, quae quidem in se est absoluta, et indeterminata, sed cum seipsam secundum quasdam leges, quae ab Heghelio *momenta* appellantur, evoluit, *ego, mundum et Deum* producit<sup>2</sup>.

233. Pantheismus opera Victoris Cousini e Germania in Galliam transmigravit. Hic eclecticorum Galliae dux se pantheistam esse praefracte inficiatur; sed quod verbo negat, re fatetur. Revera ipse docet Deum esse unicum, et multiplicem, aeternitatem, et tempus, summum, et infimum gradum entis, finitum, et infinitum, simul Deum, naturam, et humanitatem<sup>3</sup>; Deum, cum mundum creat, non quidem e nihilo, sed e seipso illum educere, ideoque creationem aliud non esse, quam evolutionem, et apparitionem Dei in mundo; creationem esse necessariam, quippe quod Deus, cum sit causa absoluta, non potest non creare, hoc est, seipsum manifestare, et cum sit causa infinita, huiusmodi manifestatio erit constans, et infinita; Deum ideoque necessario, et semper creare<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Exinde intelligitur, cur Heghelius unam esse rerum, et scientiae rerum originem, et in scientia formam, et id, quod forma continetur, unum, idemque esse decreverit. Quamobrem ipse totam philosophiam intra logicam cancellos coëgit; ex quo sequebatur rationem philosophandi esse ipsam philosophiam; siquidem logica, ut ab initio diximus, non est aliud, quam communis ratio philosophandi, sive communis modus sciendi. Cf. Carol. Kuhn, *De Dialectica Platonis*, Berolini 1843.

<sup>2</sup> *Idea* in primo momento se in se ponit, atque est *Idea in se*, id est pura, sive indeterminata; in altero, extra se progrediens, ponit mundum, et est *Idea extra se*; et in tertio in se rediens, et conscientiam sui acquirens, ponit spiritum, et dicitur *Idea pro se*. Circa horum philosophorum systemata cf. Wilm, *Histoire de la Phil. allem.* etc., vol. IV, Paris 1849.

<sup>3</sup> *Nov. fragm.*, p. 72-73, Paris 1828.

<sup>4</sup> *Cours de l'histoire de la phil.*, lec. V, VI, X, Paris 1828. Comperitur est in Pantheistarum castra commigrasse Lamennaisium (*Esquisse d'une philosophie*, Paris 1841-1846), qui unicam admittit substantiam simul finitam, et infinitam, docetque omnes res singulares esse totidem Dei flu-

## ART. II. Pantheismus generatim impetitur

234. Ex hactenus dictis evidenter colligitur omnes pantheistarum opiniones in eo consentire, quod omnia, quae sunt, etsi multa, et contraria videantur, unum tamen, idemque esse statuunt, quod *unum* appellant Deum; sed tamen differre alias ab aliis 1° ex natura huius unius rei, sive univocae substantiae; e.g., secundum aliquos, ipsa est *Absolutum* actu existens, quod omnia, quaecumque existunt, in se complectitur, secundum alios, est aliquid *impersonale*, et quasi *in potentia*, quod per successivos, et indefinitos motus seipsum constituit, et perficit. 2° Ex natura rerum, quas univocae substantiae modos vocant; alii enim eas tamquam reales, etsi a Divina substantia non distinctas, alii tamquam *phaenomena*, seu formas apparentes, sub quibus Absolutum seipsum manifestat, admittunt. 3° Ex ratione, qua res singulares ex unica substantia emanant; e.g., ex sententia aliquorum, productio mundi est quaedam necessaria *emanatio transiens* e Divina substantia; alii vero eam in perpetua, et necessaria *evolutione immanente* illius univocae substantiae consistere autumant. Iam nos primo pantheismi generatim inspecti abnormitatem evincemus, deinde quaedam contra diversas eius formas adnotabimus.

235. Prop. *Pantheismus est systema, quod cum experientia, et cum ratione pugnat, quodque ad pessimos errores ducit*<sup>1</sup>.

*Probat*ur prima pars. 1° Ex interna experientia nihil certius est, quam esse in nobis subiectum cogitans, quod personahitate,

xiones, quae tres praecipuas Eius proprietates, *Potentiam, Intelligentiam et Amorem*, limitibus circumscriptas diversa ratione exhibent.

<sup>1</sup> Pius PP. IX inter potissimos tristissimae nostrae aetatis, quos in *Syllabo* proscripsit, errores pantheismum recensuit (cf. *Acti Pontificii*, p. 13, Napoli 1865); nec non in Constitutione dogmatica de *Fide Catholica*, edita in Sess. III Sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani contra diversas pantheismi formas hos auctoritate sua firmavit Canones: « Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei, et rerum omnium substantiam, vel essentiam; anathema sit ». « Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales, e Divina substantia emanasse; aut Divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale, seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species, et individua distinctam; anathema sit »; Can. de *Deo rerum omnium Creat.*, Can. 3 et 4.



et conscientia adeo sibi propria pollet, ut alteri communicari nequeat, quin destruat; siquidem si meae cogitationes, et affectiones, quasi facta conscientiae aliorum, admittantur, mea conscientia evanescit. Atqui in pantheismo quaecumque unius subiecti ab alio distinctio perimitur. Ergo. 2° Experimur in nobis amoris, grati animi, aversionis, aliasque huiusmodi affectiones, quae ad subiectum a nobis distinctum referuntur. Atqui haec omnia nihil in systemate pantheistico significant. Ergo. 3° Experimur aliquid existere, quod nobis non inhaeret, et in nos agit, nonnumquam sine nobis, et contra nos. Ergo alia existunt a nobis, et a nostris affectionibus distincta, eaque substantiae sunt, siquidem illud, quod in alio est, sive non est substantia, non nisi per illud, in quo est, nempe per substantiam, quidpiam agere potest.

236. Probatur altera pars. Secundum Pantheismi theoriam, omnes homines sunt unus intelligens, et quoniam voluntas intellectum consequitur<sup>2</sup>, omnes homines sunt unum volens; hinc unum dumtaxat est ens intellectu, et voluntate praeditum, omnesque intellectiones, et volitiones humanae ad hoc unum pertinent. Atqui intellectiones, et volitiones hominum sunt diversae; siquidem alter intelligit, quae non ego; ego intelligo, quae non ipse; alter vult, quae non ego; ego volo, quae alter non vult; quae mihi grata, ipsi ingrata sunt; absurdum autem est nullam esse inter homines differentiam in iis, secundum quae homines diversificantur ad invicem<sup>3</sup>. Ergo.

237. Praeterea differentiae, quae diversae species rerum constituunt, oppositae inter se sunt, puta extensio, et cogitatio; quapropter, Pantheistarum sententia admissa, in unico eodem subiecto oppositi modi, vel oppositae manifestationes simul stare deberent. Atqui nil hoc absurdius. Ergo<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Cf *Criterion.*, c. III, art. 2, p. 236-237, vol. I.

<sup>2</sup> Cf *Dynam.*, c. V, *passim*, vol. I.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., *De unit. intell.*, et I, q. LXXV, a. 2 c.

<sup>4</sup> Nos non latet Pantheistas unitatem *Entis* cum varietate rerum, nobis in hoc mundo occurrentium, componere volentes, autumasse illud unicum Ens esse indeterminatum, et illimitatum, atque se ipsum determinare, cum in qualibet formarum, sub quibus apparet, se ipsum quodammodo negat, limitesque sibi ponit. At contra, unicum Ens Pantheistarum vel tamquam maxime abstractum, sive *ideale*, vel tamquam maxime concretum, ne-

238. Denique Pantheistae, cum Deum in omnium rerum esse constituunt, eam Dei notionem sibi conficiunt, qua nulla absurdior fingi potest. Etenim 1° « si Deus est esse omnium, non magis diceretur vere, *Lapis est ens*, quam *Lapis est Deus* ». 2° « Deus non erit aliqua res existens, nisi quae sit in intellectu tantum », nam « esse commune non est aliquid praeter res existentes, nisi in intellectu solum ». 3° Deus neque infinitus esset, quia vel ex rerum finitarum collectione exurgeret, vel esset indefinitum, quod sine fine se explicat; quorum utrumque verae notioni Infiniti repugnat; neque perfectissimus, quippe omnes mutationes, defectus, errores, aerumnae, quibus res obnoxiae sunt, Deo attribuenda forent; neque sanctissimus, quia, ex Pantheistarum principiis, innumera, quae in mundo observantur, flagitia Deo ascribenda essent; neque libertate polleteret, nam, secundum Pantheistas, omnia, quae sunt, aut necessario a Dei natura determinantur, aut Dei necessaria, et perpetua evolutio sunt; 4° denique, Deus ex pugnantissimis qualitatibus constaret; plurima enim, quae in mundo sese invicem re-

pe *realissimum* intelligitur. Si primo modo accipiatur, ad eius conceptum, ut in *Ontologia* diximus (cap. I, art. 1, p. 8), omnes alii conceptus reducuntur; ex quo consequitur, ut in unaquaque formarum, per quas unicum ens se ipsum determinare Pantheistae autumant, ratio entis esse intelligatur. Atqui, si illis formis ratio entis continetur, repugnat unquamque ipsarum esse negationem entis. Ergo. Accedit his, quod in ente, prout ens est, nulla negatio, aut privatio esse, et cogitari potest, quia negatio, et privatio sunt *non ens*, seu nihil (*In lib. II Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 1 ad 3). Sin unicum Ens Pantheistarum altero modo accipiatur, certe intelligi nequit, quomodo illud, quod omne esse actu habet, in diversis formis, sub quibus se evolvit, sibi ipsi limites ponat, seque ipsum quodammodo neget. Nam, si in diversis formis, sub quibus apparet, sibi limites poneret, esset illimitatum, quia in se est omne esse, simulque limitatum, quia formae, sub quibus se evolvit, ipsum limitant. Atqui illimitatum, et limitatum in eodem subiecto se invicem perimunt, quia illud, quod unum eorum ponit, alterum tollit. Ergo si unicum Ens in diversis formis, sub quibus se manifestat, vel evolvit, se ipsum negaret, in singulis ipsis se perimeret. Adde his, quod si Absolutum in quavis forma, sub qua se manifestat, limites sibi ponat, et se ipsum neget, illud consequitur absurdum, naturam cuiuslibet rei eo imperfectiorem esse, quo plures sunt formae, quibus Absolutum se manifestat; e. g., non viventia viventibus praestare.

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 26.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, loc. cit.



pellunt, in Deo simul consistere deberent. E. g., esset Deus simul extensus, et cogitans, proindeque corporeus, et simplex; et quoniam inter res corporeas aliae moventur, aliae quiescunt, atque inter res cogitantes id, quod una novit, altera sub eodem respectu ignorat, et id, quod una amat, aversatur alia, Deus simul moveretur, et quiesceret, unum idemque sub eodem respectu cognosceret, et ignoraret, amaret, et aversaretur. Immo, cum Deus omnia sint, Deus se versus se ipsum moveret, seipsum cognosceret, et ignoraret, amaret, et aversaretur.

239. Quod si cum Pantheistis idealisticis nostrum *ego*, et mundus exterior, atque ea, quae in nostro animo, et in mundo fiunt, inter phaenomena, fallacesque illusiones reiciantur, non minus absona Dei notio inde exurgit; siquidem, cum nullum in illa hypotesi, praeter Deum, sit subiectum cogitans, illusiones illae non nisi in ipsum Deum cadere possent. Deus igitur, Ens nempe perfectissimum, illusioni, quae maxima imperfectio est, obnoxius foret. Ceterum contradictiones, quibus, secundum hoc pantheismi genus, notio Dei implicatur, in sequenti articulo manifestas faciemus.

240. *Probat*ur tertia pars. 1° Pantheismus est eiusmodi systema philosophicum, ut ex eo rationalismus<sup>1</sup> in Theologiam sponte veluti sua derivetur. Revera supernaturalismus duo genera verorum admittit, nempe unum intelligibilem, alterum superintelligibilem, quia duos rerum ordines agnoscit, unum rerum, ex quibus natura componitur, alterum rerum, quae supra naturam sunt. At pantheismus non nisi unicum genus verorum intelligibilem admittit potest; quia, cum omnia, quae in hac rerum universitate cernuntur, veluti *formas*, vel *modos*, vel *manifestationes* unius *Entis*, sive *Idea*e consideret, unicum rerum ordinem reapse admittit. Ergo, si pantheismus in theologiam Christianam inducatur, huius dogmata non nisi veluti veritates intelligibiles spectari possunt. Sed hoc est absurdum systema theologiae Christianae, quod *rationalismus theologicus* vocatur. Pantheismus igitur ad rationalismum theologicum ducit<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Quid sit rationalismus theologicus, explicavimus in *Ideologia*, c. I, art. 8, p. 204, vol. I.

<sup>2</sup> Certe quisquis Spinosae *Tractatum theologico-politicum*, et *Epistolas ad Oltenburgium* attente legit, non potuit, quin animadverteret Philosophum

2° Quin immo pantheismus non nisi larvatus atheismus est, ac proinde omnem religionem, etiam naturalem, destruit. Sane idem est Deum negare, ac illum veluti quiddam ex oppositis qualitatibus constans, aut quiddam abstractum, quod ex necessitate se evolvit, et quod in nomine se maxime manifestat, admittere. Deus autem huiusmodi certe nullam reverentiam, et nullum amorem sibi vindicat<sup>1</sup>.

3° Pantheistae animarum immortalitatem aut aperte inficiantur, aut sermone retinent, re autem tollunt. Et sane, alii animas ita ab unica substantia absorptum iri arbitrantur, ut personalem, et individuam existentiam prorsus amittant, uti praecae-teris Schellingiani, et Hegheliani; alii fatalem, et numquam desituram in varias formas transmutationum seriem singulis hominibus assignant, uti Sansimoniani, Krausiani, et Fourieristae; omnes denique in eo conveniunt, quod omnes homines sive boni, sive mali eidem fato subiiciantur<sup>2</sup>.

4° Secundum pantheismi placita, homo libertate expoliatur; siquidem omnia ex necessitate Divinae naturae determinari, fluere, emanare dicuntur. Ex quo consequitur etiam nullam esse posse distinctionem inter virtutem, et vitium; sublata enim libertate, omne di-crimen inter bonum, et malum morale tollitur.

hebraeum nihil in Sacris Scripturis agnovisse, quod vires humanae rationis praetergrediatur, et praecipua systemata rationalismi theologici, quae nuperi Rationalistae Germaniae adeo promoverunt, tradidisse. (De rationalismo theologico Spinosae, eiusque diversis modis, cf. *La Scienza e la Fede—Spinosae e i moderni razionalisti*, vol. X, p. 5-17, et p. 241-264, vol. XI, p. 100-117, et p. 401-423, vol. XIV, p. 263-275, Napoli 1843-1847.) De Fichteo, Schellingio et Heghelio, qui pantheismum sub diversis formis professi sunt, dubitare nemini licet, cum illos diversa systemata rationalismi theologici ex instituto propugnasse, multosque theologos protestantes Germaniae ad se pertraxisse exploratum omnibus sit. Cf. Barth. D'Avanzo, nunc Eminentissimum Cardinalem Episcopum Calven. et Theanens., *Opuscoli theologico-biblici*, Napoli 1854.

<sup>1</sup> Praestat illationem istam his D. Augustini verbis enunciare: « Si unius, eiusdemque substantiae Creator, et creatura esset, non reprehenderentur, quia servierunt creaturae potius, quam Creatori; quoniam cuicumque servissent, ab eadem natura, atque substantia non recessissent; *Contra Secundinum Manichaeum*, c. 7. Vid. etiam *De Civ. Dei*, lib. IV, c. 12.

<sup>2</sup> Cf. *Anthropol.*, c. IX, art. 1, p. 269.



5° Denique, ne cuncta persequamur<sup>1</sup>, pantheismus societatem civilem funditus evertit. Etenim societas sine legibus consistere non potest. Iam leges in pantheismo locum nullum habent, tum quia qui legem fert ab iis distinguatur oportet, quibus lex indicitur, pantheistae vero entium pluralitatem, et personalitatem inficiantur; tum quia qui legem constituit, necesse est, ut illis praestet, qui legi parere debent; id quod cum unicae substantiae, sive unius Entis dogmate non convenit<sup>2</sup>. Inde etiam patet, quodlibet auctoritatis principium, omnisque iuris et officii regulam, ideoque quodcumque societatis vinculum in pantheismo de medio tolli. Quinimmo, creaturarum realitate et activitate destructa, Pantheistae consequenter etiam legitimae cuiusque proprietatis iura invadunt; et ideo illud quoque pessimum societatis malum, quod nomine *socialismi*, vel *comunismi* appellatur, ex illorum theoriis emergit<sup>3</sup>.

241. Obiic. 1° Si essent aliae substantiae, praeter substantiam infinitam, ipsae sane perfectiones quasdam haberent, quibus substantia infinita careret. Atqui substantiae infinitae notioni repugnat eam quibusdam perfectionibus carere. Ergo repugnat extare alias substantias praeter substantiam infinitam.

242. Resp. *Dist. mai.*, ita ut illae perfectiones non sint in Deo eodem modo, quo in substantiis ab Eo distinctis, *conc. mai.*, non sint in Deo modo eminentiori, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Distinctionis, quam attulimus, ratio ex iis, quae alibi docuimus<sup>4</sup>, evidenter perspicitur.

243. Obiic. 2° Substantia infinita cum substantiis finitis conjuncta est quidquam maius unica substantia infinita. Atqui hoc est absurdum, siquidem illud, quo quidquam maius esse potest, non est infinitum. Ergo absurdum est esse substantias finitas praeter infinitam.

<sup>1</sup> De aliis pantheismi consecrariis cf. Maret, *Saggio sul Panteismo*, vers. ital. *Bibl. Cat.*, c. VI, p. 161 sqq. Napoli 1850.

<sup>2</sup> Hinc illa pantheistarum enuntiata, quae in *Syllabo* (§ VII, n. 59, 60, 61) proscripta inveniuntur, nempe: *Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent. Auctoritas nihil aliud est, nisi numeri et materialium virium summa. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.*

<sup>3</sup> Vid. *Allocut. Pii PP. IX, Maxima quidem*, 9 Jun. 1862, in *Op. cit. Atti Pontificii*, p. 378. — <sup>4</sup> P. 342.

244. Resp. *Dist. mai.*, quidquam maius quoad numerum, *conc. mai.*, quoad perfectionem, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* Iis, quae ad huius rei explicationem alibi tradidimus<sup>1</sup>, hunc alium D. Thomae locum adiciamus: « Finitum infinito additum non facit maius, sed facit plus; quia infinitum et finitum sunt duo<sup>2</sup> ».

245. Obiic. 3° Deus dicitur *esse omnium*; et omnia dicuntur *esse in Deo*, atque *esse participationes* Divinae Essentiae. Atqui hae loquendi rationes significant res extra Deum ab ipso Deo reipsa non distingui. Ergo.

246. Resp. *Neg. min.* Et sane, 1° « Deitas dicitur esse omnium effective, et exemplariter, non autem per essentiam<sup>3</sup> ». 2° « Creaturae in Deo esse dicuntur dupliciter. Uno modo, in quantum continentur, et conservantur virtute Divina; sicut dicimus ea esse in nobis, quae sunt in nostra potestate. . . Et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis: *In Ipso vivimus, movemur, et sumus*, quia etiam nostrum vivere, et nostrum esse, et nostrum moveri causantur a Deo. Alio modo dicuntur res esse in Deo, sicut in cognoscente<sup>4</sup> ». 3° « Creaturae non dicuntur Divinam Bonitatem participare, quasi partem essentiae suae, sed quia similitudine Divinae Bonitatis in esse constituuntur, secundum quam non perfecte Divinam Bonitatem imitantur, sed ex parte<sup>5</sup> ».

247. Obiic. 4° Notio essendi in se, sive subsistendi, ut alibi dictum est<sup>6</sup>, dumtaxat Deo plenissime convenit. Ergo nulla substantia, praeter Deum, dari potest.

<sup>1</sup> P. 314. — <sup>2</sup> In *lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. I, art. 4, sol. 1 ad 4.

<sup>3</sup> I, q. III, a. 8 ad 1. Praeclara sunt haec D. Bernardi verba: « Sane esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt, quod est Ille, sed quia ex Ipso, et per Ipsum, et in Ipso sunt omnia. Esse est ergo omnium, quae facta sunt, Ipse factor eorum, sed causale, non materiale »; *Serm. IV in Cant.* Cf. s. Aug., *Solil.*, lib. I, c. 1, et s. Damasc., *De Fide orthod.*, lib. I, c. 12.

<sup>4</sup> I, q. XVIII, a. 4 ad 1. Cf. *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 18 ad 24. Ex his, et aliis, quae antea passim exposuimus, intelligis fatiscere fundamentum Pantheismi Krausii, eiusque discipuli Arhensii; siquidem eorum sententia in illa verborum aequivocatione superstruitur, qua omnia, et proinde etiam mundi essentiam in Dei Essentia asseritur contineri.

<sup>5</sup> In *lib. II Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 6 ad 1. Et alibi: « Essentia Divina non secundum se augmentabilis et multiplicabilis est; sed solum multiplicabilis est secundum similitudinem, quae a multis participatur »; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 75. — <sup>6</sup> P. 323-324.